



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus LVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

gnum hoc Crucis, fiat nobis lignum benedictionis, salutis, & nobilis victorię trophæum.



MODUS LVI.

Oppositus, naturali rerum dispositioni, quando rem, non eo ordine, prosequimur, quo gesta est: sed aut ab imis inchoamus, & procedimus ad superiora, aut media, summa, ac infima ordine certo, & ad propositum conducente permiscemus. Utimur hoc modo potissimum, in genere exornativò, vel vitæ, mortisque, acta prosequendo; vel virtutum laudes. Nam sicut à vita recte ad mortem descenditur, ita à morte ad vitam rectè ascenditur, cum, prius proposita vita tanquam causa laudabilis mortis, inde ad ejus laudes proceditur: Similiter in virtutibus, virtus aliqua specialiter relucens assumitur, & ad eam aliæ, tanquam causæ antecedentes, aut effectus consequentes revocantur: ut, si laudes alicujus sancti, humilitatem: & ad eam referas, sui contemptum, Divinæque Majestatis eximiam cognitionem, sine quibus, virtus illa consistere non potest. Hic ipse nodusnectendi, & variandi summa cum infimis, ingeniosius & facilius cedit, si ipsa ratio nectendi, alicui insuper auctoritati, aut historiæ, aut symbolo, aut scripturæ adnectatur. E. g. laudaturus, D. Casimiri eximiam castitatem, imaginem ejus sacram respiciens: in qua pingitur, liliun altera manu, aliâ crucifixum gestans, laudata inde ex occasione lili castitate, transferes orationem ad

ad aliud symbolum crucifixi, & virtutem patientiæ, mortificationis, humilitatis, per crucifixum signatam profecutus, utrumque deinde jungeres. Similiter in Festo D. Caverii de ejus vita tractaturus, sumeres illud de Confessoribus, *Sint lucerna ardentes in manibus vestris*, diceresque
 1. vitam ejus fuisse lucernam, quæ lumen innumere gentibus infudit; quod, est inter acta vitæ, medium. 2. lucernam ardentem, qualis præcipue est ejus conversio, & illi ardores, quibus accensus clamabat. Satis est Domine, satis est. 3. Lucernam in manibus conservatam, quod servit & castitati inviolatæ, & vitæ à prima conversione sanctissime custoditæ, & morti quæ quamvis in loco desolato accidit, sanctissima obvanit: ideoque est lucerna, consecrata in manibus, non objecta, nec alicubi per oblivionem neglecta &c.

P R A X I S.

In Commemoratione B. Stanislai Kostba, Societatis Jesu quæ solet juxta cursum annum contingere.

Dominica XXII. Pentec.

Cujus est hæc Imago. Matth. 22.

Accessus & Propositio. Ut ad interrogationem hanc die commemorationis hodiernæ, respondeam, duo considero. Alterum, quod hic Beatus, interrogatus aliquando. An B. Virginem MARIAM amaret? respondit. *Quid queris Pater? Mater mea est*, quod ipsum, cum ea animi pietate & teneritudine protulit, ut plusquam humana vox vide-

videretur. Alterum, quod Physici communiter asserunt. *Filios Matrizare*: hoc est, ut plurimum Matrum imaginem referre. Hinc infero. Beatum Juvenem Stanislaum, siquidem Mater ejus D. MARIA est, *Matrizare*, nec melius, ad prædictam interrogationem, cujus hæc est Imago? responderi posse quam Mariano, seu MARIAM Deiparam referens. Hoc ipsum, ut certius pateat, similitudinem hanc felicem, ex vitæ ejus similitudinem hanc felicem, & ex vitæ ejus similitudinem hanc felicem, ex vitæ ejus similitudine prosequamur.

Confirmatio, per vitæ puncta non ordine quo acta sunt, sed liberè, & mixtim relata,

Scriptura sancta cum Deiparam Virginem, ejusque Maternitatem multis variisque laudibus semper depinxit, tum his quoque æternæ sapientiæ verbis descripsit, Eccl. 24. *Ego Mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sancta spei.* Hæc laudes, si objectivè sumantur, omnes in primis congruunt, immaculatæ ejus conceptioni. Est enim in illa, Mater pulchræ dilectionis respectu Dei, cum sit purissima, ideoque amabilissima. Est Mater timoris, respectu inferni, ipsa enim in conceptione contriuit caput originale serpentis. Est Mater agnitionis, respectu Angelorum. Illis enim præ ceteris nota est animæ intemeratæ, ac immaculatæ pulchritudo. Est Mater spei, respectu hominum, quibus eo ipso, dat fiduciam vincendæ in posterum mortis, & peccati; quando mortis, & pecca-

U

ti,

ti; quando mortis, & peccati, primo ancepta, elidit
 virus. Rursus objective similiter sumendo eadem
 encomia. Est Mater pulchræ dilectionis, in annun-
 tiatione, quia in eâ in sponsam spiritus sancti, &
 matrem Dei eligitur. Est Mater pulchri timoris, in
 purificatione, quam tanquam simplex Mater, & pu-
 rificatione indigens, suscipit. Est mater agnitionis
 in visitatione, & in partu virgineo, à quo & ab An-
 gelis, & à Pastoribus, & à Regibus ut talis, agnita &
 culta. Est mater pulchræ spei, in assumptione, illam
 enim, secundum filium ejus, primam in cælis habe-
 mus advocatam. Eadem autem encomia, si accipi-
 antur, formaliter & effectivè. Est B. Virgo Maria
 ipsa, plena pulchra dilectione, timore, spe, agnitio-
 ne rerum divinarum: & facit ope & precibus suis,
 ut servi quoque & filii ejus, sint tales, atque ideo,
 ejus gratia.

D. V. Maria est mater pulchræ dilectionis, &
 B. Kostca Matrizat, estque filius pulchræ dilectio-
 nis. Testatur id mors, quam præter omnem natu-
 ræ ordinem, evenisse, consensere Medici: testantur
 flammæ cælestes, quibus continuò ad Patriam cæ-
 lestem anhelabat: ac quibus, in extremo morbo æ-
 stuabat, cum speraret, prædiceretque se à D. ma-
 tre, die ejus assumptionis, de terra assumendum:
 Testantur contemptæ paternæ opes, honor, digni-
 tates summæ in Patria speratæ, generis splendor,
 & quidquid magni, mundus polliceri potuit. No-
 tanda cedro, aut potius medio cordis, verba D.
 Justini vitæ Monasticæ cap. i. sic loquentis. O

mira-

mirabilis artifex è caelo missus. O incarnata sapientia
 Magister amoris, qua arte reparas lapsos? quibus
 vinculis trahis, post te filios Adam? quave virtute
 totum tuis legibus subdis orbem? Gravia suades, con-
 traria corpori consulis & tamen, innumeros tibi quo-
 tidie, vendicas amatores. Mirari id læpius licet, sed
 in B. Juvene Stanislao prædicare, qui contempto
 mundo, sibi maximè obsequente, pauper & con-
 temptus, in religiosa domo latere elegit. Opus hoc,
 non est nisi amoris: cor, ad tanta facinora impen-
 sum, non est nisi plenum Divinæ dilectionis, unde
 & Stanislaus, plenus pulchræ dilectionis.

D. Virgo MARIA Mater pulchri timoris, &
 D. Stanislaus *Matrixat*, estque filius referens pul-
 chrum timorem: At quid timeat, innocentissima
 vita? imò quid ipsa innocentia, nunquam lethali
 culpa sauciata? Turpis est timor, qui supponit pec-
 catum, & quanquam, non insalutaris sit, servilis ta-
 men est. Ille timor est pulcher, de quo David ad
 Salomonem 2. Regum, 2. *Confortare & esto vir.*
 Chall. *Et esto in virum timentem peccata.* Ille
 pulcher de quo D. Greg. homil. 6. Moral. cap.
 24. *Anchora cordis est pondus timoris, & sicut ma-*
ioribus, & ditioribus navibus, majore anchora
opus est, ita quò justior est homo, majore timore indiget
 Ille pulcher est, de quo Zeno. Veron. Ser. 6. de Isa. Is

Solet esse genius bona mentis. Timet illâ arte, non casu; voluntate, non necessitate; religione, non culpa quemadmodum egit D. Stanislaus, cum innocens, ut peccati occasionibus se subduceret, è mundo fugit, & die D. Laurentio sacra, vilibus culinæ miste-riis sponte addictus, cum interrogaretur, quid interea cogitasset. Ex aspectu, respondit, ignis, & D. Laurentii, prunis, ad inferni supplicia, cogitatione deductus, pœnas peccatis debitas, & ignes æternos in mente voluebam. Ah mi Costule! non tuus hic timor est non tua supplicia? *At ubi Deus, ibi metus in Deum?* ait Tertul. de præsc. c. 43. quod dum & sentit, & præstat D. Stanislaus, refert imaginem D. Matris, filius pulchri timoris.

D. Virgo MARIA, Mater pulchræ agnitionis, & D. Stanislaus *Matri* *æ*, est que filius, pulchræ agnitionis. Maximorum in orbe malorum, maxima causa, mentis cæcitas. Nihil volitum nisi cognitum. Quis mundum æstimet, si illud Christi percipiat. *Quid prodest homini, si uniuersum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patitur*, Matth. 16. Quis se felicem de successu & potentia temporali credat, si illud percipiat Matt. 5. *Beati Pauperes, beati mites, beati qui flent, Beati qui persecutionem patiuntur.* Quærit Isa. c. 53. *Domine quis credidit auditui nostro?* O quoties ea quæstio repetenda, cum de peccati gravitate, de mundi vanitate, de salutis incertitudine, de æternitatis duratione, agitur! Exclamavit redivivus à morte, post observatum septennii silentium, ingentesq; sui afflictiones, Religiosus: *Nemo credit, nemo credit, quid sit mori.* Clamare hoc licet

licet toties, quoties surdis, fabulam audis prædica-
 ri. Quamvis Isaia minentur, Jeremia plorent, Ba-
 ptista clament, ipse Christus prædicet, in utramq;
 tamen aurem dormitur. O felix portio, & electa
 plebs, quæ cum Davide dicere possis Psal. 39. *Au-
 res autem perfecisti mihi.* Hujus portionis gloria,
 B. Stanislaus Kostka quo lumine polleret mentis,
 cum innumeris heroicis virtutibus, & ingenti re-
 rum spiritualium eruditione probavit, tum illo ve-
 rò factò, quo literis Parentis, magnis promissis, tum
 gravissimis minis à proposito vitæ sanctioris revo-
 cantes intimis lacrymis deplorans sæcularium ho-
 minū tenebras, rigavit: & eximio responso. Omnia
 præ cælo & Christo nihili habenda, quemadmo-
 dum haberet, habereque constanter vellet, mon-
 stravit. O Deo dilectum Stanislaum? O Lucis Di-
 vinæ receptaculum? O filium pulchræ agnitionis!

D. Virgo Maria Mater sanctæ spei, & Divinus
 Stanislaus *Matri*at, est que filius sanctæ spei. Nam
 ut ait D. Chryf. *fides gloriam inchoat, spes sustinen-
 do consummat.* Sic agricola, pergit D. Chryf. Ser. 118.
*fructus uberes, & epulas cantat, ut imminentem vo-
 meris laborem sentiat & sudorem.* Sic nauta, portus
*modulantur & lucra, ne undarum ruinas, ne maris
 discrimina pertimescant.* Sic miles, ne vulnera me-
ruat, preda personat & triumphos. Alexander Ma-
 cedo ut est apud Plutar. cum munera liberaliùs in-
 ter amicos partiretur, interrogatus: quid sibi relin-
 queret spes, inquit, meas. Magnificum, sed inane
 inventum. Ubi nunc spes eæ; ubi regna, ubi opes
 Alexandri? verissimè Aug. *Quidquid sine Deo pos-*

sederis latius inanis eris. In hoc certè fixerat spes suas, Stanislaus ut cum Job diceret 19, *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Non in arcis, non in horreis, non in vitæ & fortunæ successibus: ad quæ omnia auferenda validæ sunt hominum & temporum injuriæ: sed in sinu, in cordis medullis, hoc est Deo; in quo sperans, factus est, filius, Virginis matris, & hæres sanctæ spei. Quid nos obsecro interea? quo amore raptamur? quo angustiarum timore? quibus involuimur tenebris? quâ premimur diffidentia? O! Esto auxilio beate Costule! & deterfis improbus amoribus, depulsis timoribus, detracta cæcitate, exclusis angoribus, fac nos, dignos tantæ matris filios, ut cum nostrorum animorum, repansa fuerit imago, Tui, similes, Mariæ addicti, ac inde Deo cari, noscamur.



MODUS LVII.

CUm officium proprium Oratoris sacri sit, auditores instruere, monere, docere: dupliciter, cum virtute ab hoc officio quodammodo sermone averso, procedere potest Orator. 1. Cum aliis, quam auditore agendo, deliberando, suadendo, dfluadendo, excusando, accusando, consolando, & his similes actiones in se recipiendo dum tamen ea loquatur, quæ auditori serviant 2. ipsū Auditorem non per modum Doctoris, aut monitoris sed vel per modum amici, sociiq; alloquendo, & de communibus salutis periculis conferendo: vel per modum nuncii, tristitia illi aut læta nuntiando, vel alios